



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 210. Ibi ergo propter parasceum Iudæorum: quia iuxta erat
monumentum posuerunt Iesum. v. 42.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

genitum eius filium tractus fueris. Vbi vero eum obtinueris, velut pupillam oculi in te reconde, & charitatis brachijs amplexare. vt autem hunc thesaurum! ô Deus totius consolationis, diligenter custodiam, da gratiam vt abdicatis prius voluptatibus emam mundissimam sindonem, hoc est, puram conscientiam ab omni peccati voluntarij labe deterfam, vt ei dominum meum inuoluam: Da quoque vt præparem aromata hoc est, diuersarum odoramenta virtutum, quibus condiam corpus domini mei: si non verum omni die, saltem mysticum, hoc est Ecclesie illius membrum inungam, iuuando, consolando, instruendoque prouocem, quo cum Apostolo, tuo Christe *bonus odor sim* in omni loco Amen.

§. 210. Ibi ergo propter parasceues Iudæorum: quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum. v. 42.

Isti, id est in horto Iosephi, caluarie monti proximo, distante à loco defixæ crucis spatio centum octo pedum, versus meridiem, in quo erat monumentum excisum, quod sibi Ioseph parauerat: Non sine mysterio singulari factum est, vt in propinquo esset monumentum, vt & discipuli possent adesse & spectatores & testes fieri factorum, & milites facilius, mitti ad custodiam vt cessaret propter locum furti suspicio, quæ non abesset, si procul fuisset: nec facile alio aut longius potuissent corpus demortuum portare propter sine in seu exitum parasceues Iudæorum: Volente itaque ad eum modum Deo, portauerunt Corpus Iesu, suscipientes id cum magna reuerentia vti docebat sanctum sanctorum.

NON terrearis hic ô anima mea, non terrearis eo quod Dei filius inferatur sepulchro, colligatus, mortuus, vnctus, confusus: in oculis quidem eum gestant vt mortuum, nihilominus in corde gestant viuum. O insignem processionem ô peregrinationem felicem in qua filius Dei inambulatur mortuus, mater semimortua comitatur, portat examinatus Nicodemus, tenet stupefactus Ioseph, plorat vir Ioannes, queritur Magdalena, plena solatijs, hæret sollicita tota cognatio. Tibi ô anima mea præcipio, & te ô cor meum adiuro, vt iuues deferri Dei filium & iuues in lacrymando matrem, sunt enim pauci qui tantum thesaurum ferunt & sex solummodo qui illum desleant: ô benignissime Deus, quales pompas nos miseri nostris gadaueribus paramus, Tu Sanctus Sanctorum tam parua processione

Y

honora-

honoraris. verissime, aut mundus fallitur aut Tu sapientia Dei quia valde diuersa eligitis. Iste immanes multitudines populorum, Tu paucas & electas personas funeri tuo adhibendas censuisti.

Domine Deus quid faciam funeri meo? quem sequar modum? imitabor te, Tu tuis amicis id negotium permisisti, & ego id permittam executoribus Testamenti mei. vel si id non comparuerit tuæ sanctissimæ dispositioni, & humanæ voluntati sic te vtrumque imitabor. Animam tamē meam semper in manus tuas, Domine, commendatam esse volo.

CONCLUSIO.

Hic siste anima mea, hic siste sanguine Christi sponsi tui redempta. Ecce iam ad stationem, emensoque mari rubro ad portum, per Passionum eius decursus, venisti: sede nunc tecum, & paulisper quiesce, & tecum, quæ vidisti, audisti, & sensisti reperi. pretium redemptionis tuæ triginta denariorum in cordis tui thesaurum absconde, quia pretium sanguinis est & salutis animarum: horror eius in horto peccati horrorem incutiat, humiliter procidendo iam ad pedes Crucifixi Dei tui implora eius misericordiam, ac dic: Ignosce mihi obsecro, ô mare misericordiarum & salua me propter nomen sanctum tuum. Credo enim nulla delicta tam graua & enormia esse, quæ meritis sanctissimæ Passionis tuæ expiari non possint. Dulcis Iesu, Ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatem, qua tu Deus æternæ Maiestatis, homo passibilis pro nobis fieri & plusquam triginta tres annos, inter multiplices labores, ærumnas atque persecuciones fatigari non dedignatus es. Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis in terra genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas quando te ipsum inimicis tuis ultro obtulisti captiuum. Offero vincula, verbera impropria,

conu-